

2031.

1315 d. 1 Sept.

MARGARETA ERIKSDOTTER testamenterar 12 öreland i Norrhammar till Vårfruberga klosterkyrka, der hon väljer sitt grafställe, samt penningar till åtskilliga kyrkor och prester, hvarjemte hon anmodar sin son Eskil, att utlemna de gåfvor, som hon mundtligen lofvat åt släktingar och vänner.

Örnhjelm's afskr. Kyrko- o. Klosterbref. XI: 1339*)

In nomine patris et filii et spiritus sancti, amen. Ego MARGARETA ERICSDOTTER, licet corpore debilis, mente tamen et ratione sana et incolumis, considerans anime mee feliciter et salubriter providere, ac Testamentum meum, cum dilecti mei filii Eschilli consensu, benivolo, in anime mee remedium, ac meorum remissionem peccaminum, dispono et condono [æ:condo] in hunc modum, primo videlicet Ecclesie sanctimonialium in monte beate virginis, ubi mee eligo locum sepulture, lego duodecim oras terre in Norhammar, cum omnibus adiacentibus prope vel remote positus, irrevocabiliter et perpetuo possidendas. Item Ecclesie Husabytrøgth, unam marcham denariorum, curato ibidem unam marcham denar., Ecclesie Nysæter, unam marcham denar. curato ibidem totidem, Ecclesie apud Fløthasundh, que Næss appellatur, tres marchas denar., Ecclesie Vengium unam marcham denar., curato ibidem totidem, Ecclesie Ernatunom unam marcham denar., curato ibidem tantundem, Ecclesie Næss circa Enecopiam, unam marcham denar. et totidem ibidem sacerdoti. Item vobis fili mi charissime Eschille Andersson, in potestatem deputo sub favore filiali, instanter supplicando, ut voluntatem meam in omnibus donis et promissionibus, que consanguineis, propinquis, amicis meis, et famulis conferre promisi viva voce, in rebus, vestibus, sive in quibuscunque datum vel promissum fuerat, consequi velitis cum effectu, nec non anime mee remedio et commoditati, sicuti vobis divine retributionis gracia, inspirando, feliciter attendentes et premissa omnia perfectione solutionis subsequentes. In cuius ordinacionis evidenciam firmiorem, sigillum dilecti mei filii Eschilli predicti, pro predictis omnibus firmiter et stabiliter observandis et confirmandis, una cum sigillo meo proprio presentibus sunt appensa. Datum Anno Domini M. CCC. XV. In die Beati Ægidii confessoris.

Två sigill finnas betecknade.

*) Enligt Örnhjelm's anteckning, "collat. med orig. permebr.". — Synes på flera ställen vara oriktigt afskrifvet.